



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 113. Maximus in Patriarcham Constantinopolitanum electus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

§. CXIII.

Maximus in Patriarcham Constantinopolitanum electus.

*Turco-
Græc. l. I.
§ 2.*

Sublato e vivis Raphaele, qui in Patriarcham Constantinopolitanum Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto in Græcia eligebatur, coacta fuit a Græcis Synodus pro Successore eligendo. In ea post diurnam consultationem unanimi omnium consensu susceptus est Manuel Ecclesiarcha, seu ille, cui Ecclesiarum cura est commissa. Vir erat scientia & morum integritate conspicuus, qui jam antea ob fidei defensionem narium mutilationem tolerabat. Hunc Monachorum instituto adscriptum Græci, apud quos Episcopus fieri non poterat, nisi prius esset Monachus, ad Mahometem adduxerunt, ac continuo pro novi Patriarchæ ingressu quingentos aureos, præter alios bis mille pro tributo singulis annis pendendo numerarunt. Neo-electus Patriarcha mutato suo nomine Maximus appellari voluit, sub cuius Pontificatu tanta pace Ecclesia fruebatur, ut cum nominis ejus fama ad Mahometem perveniret, eidem colloqui voluerit, & plurium fidei nostræ capitum explicationem ab eo petierit, quam etiam luculentissimam ab eo accipiebat, virique pruden-

prudentiam, ac suarum responsionum soliditatem plurimum admirabatur, nec tamen propterea usque ad obitum suum Christianos divexare cessabat.

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

§. CXIV.

Sacrilegum Galeatii Sfortiæ Mediolanensium Ducis parricidium.

Eodem anno die vigesima sexta Decembris Galeatius Mediolanensium Dux, in hac eadem urbe ante fores Ecclesiæ ad D. Stephanum ex insidiis trucidatus est; nunc vero occasionem sacrilegæ hujus cædis recenseamus. Joannes Andreas Lumpugnanus ex nobili, atque illustri Mediolanensium familia ortus, ac inter Aulicos Francisci Sfortiæ nutritus erat. Hic de possessione cujusdam beneficii cum suo æmulo Novocomiensi Episcopo ex Castellionum genere nato contendebat: cum autem Episcopus gratia atque auctoritate, qua apud Ducem plurimum valebat, suffultus, litis decisionem ad plures annos extraxisset, Lumpugnanus sæpius, non sine verborum vehementia atque intentatis quandoque minis de Judicum lentitudine apud Ducem conquestus est, quin imo die quadam inter cetera, quæ Galeatio objectabat, furore accensus dixit, Ci-

Epist. Card. Robert. apud Marten. th. nov. t. 1.

Corio part. 6

Ripamont.

hist. eccl.

Mediol. 1. 13.